


l. florus
Dialogus lucrecie cum recommendacione
hemi francisci petrarche
Dialogus luciani q[ui] inscribitur caron
Judicium iouis de monte forti et
Historia occisorum in Culm
Oracio marci tullij ciceronis
pro marco marcello ad p. c.
Oracio inuectiua con catholina
Basilius magnus
Episcole magni Turci
Latinum ydeoma pro religiosis
Elegancie latinitatis nigri p[er]
[illegible] cum modo epistolandi
Episcole nigri maris



L. Annei flori Epithoma hoc emendatum
fridianus pighinnutius lucensis Et Joannes Wit-
tigisere premendum curaverunt. Quod
arte sua Conradus gallicus In oppido lip-
tzensi perficit xii. Calend. Junii Anno
salutis M°. CCCC° lxxx septima 1487

[redacted]

A. 1523
Ludo. Ju. U. n.
Univer
Valo:

Iustus libelli est possessor nicolaus Lumpkowsky et est emptus pro novem grossos.

Apud magistrum Ieronimum [illegible]

Jhus Maria Anna

6

Tractatus carminibus elegantissimis conscriptus de passione domini.

u Haina : reverendissimum

Jesuida hieronymi Paduani ad reuerendum in christo patrem. Dominum petrum donatū vrbis padue presulē dignissimum.,,

Inuocatio ad deū optimum maximū

Maxime celicolū supera qui celsus in aula
Eterno imperio superas: fortiq; tridente
Res hoīm diuūq; regis. quo t̄bine diro
Iudei irruerant rabies que traxerat illos
Tanta tuo nato penas inferre nephandas
Horrendumq; genus mortis. crudelius ipsa
Terq; quaterq; nece est animus describere versu;
Hoc modo fluctiferum pater o rege vela per equor
Primiciasq; mee (siqua est) en accipe muse.

Inuocatio secunda ad episcopum ad quē scripsit presens opusculum de. p. d.

Tu quoq; quē sanctus vite nitor vndiq; tollit
Cuius et extremas orbis penetrauit in oras
Fama. ingēs virtus morum. sanctissima vite
Relligio. humanis pulchre comitata camenis
Et superis: latialis honos. hinc aspice presul

Inclijte: tuq; auras classi concede secundas
Nam mihi cesar ades atq; es mihi verus apollo
Nec dubitem auspicys tantis deductus haberi
Prob fortunatum. ac diuino degere nutu
Hucadsis donate pater. tutare canentem
Metra. licet tenui ac iuuenili inducta coturno:
Nam post cum fuerim scribendi commoda nactus
Tempora: cum studys maneat tutissima ceptis
Et mihi parta quies: maiorq; aduenerit etas
Incipiam grauiora. tueq; ab origine gentis
Deueniens tua gesta canam: modo fata secundent:
At mea nunc primo replentur carbasa vento:
Littora destituam. et medium ferar altus in equor:

Convocatio demonum a plutone principe infernali.

Panditur infelix herebi domus ampla superbi
Tartareusq; suos misera ad sedilia pluto
Conuocat ecce duces rabidoq; exestuat ore:
Rupe caua medy locus est immanis auerni
Luce carens. vbi perpetuo nox incubat. illic
Circumquaq; palus stigia et stagna alta resurgũt
Cocyti. heu quantus dolor hoc egurgite fusco

Auditur. nigra discurrunt fontis harens
Ingentes angues. horrendaque monstra per undam
Deformi limo voluuntur et impia tractant
Sibila terrorum natat hic genus omne colubrum
Ignis edax fluuium medio tamen aere serpit
Aere quo peius nihil est. noua adesse putabis
Hic elementa suum tali regione tribunal
Jupiter infernus statuit sede arduus ergo
Terribili seuas acies rabidasque phalangas
Conuocat ore tonans miseros hys turbine vastos
Conscendunt. replentque locos ipse alcior infit.
REthei dites ingens hoc causa subegit
Cogere consilium. nec vos mea dira potestas
Nequicquam exciuit varys terroribus angor
Accipite hec memores. nostramque hys discite mentem.
Horrida iam dudum forti cum milite bella
Congerimus sed pauca valent in prelia vires.
Sepius aduersum vidistis quantus in hostem
Insurgat clipeo, et telum quo turbine verset
Undique conueniunt populi. pars alta sequuntur

Oracio plutonis ad suos.

Mat. ii. Eloquia et sanctum pars hunc cum munere adorans
Quid loquar? hic vrbes. hic hic sermonibus ipsa
Opida subuertit varys. totumq; per orbem
Fama volat. sua nunc gentes doctrina per omnes
Spargitur. et tandem nostris dominatur in oris.
Vincimur heu miseri. q̄m parua potencia nostra est
Vincimur iste deo natum magnoq; parente
Se fecit. et miris testatur et approbat istud
Hominibus. claudi incedunt. sua lumina ceci
Obstupuere. nouas muti dixere loquelas
Math. viii. Mar. vii. Audyt et surdus. turpi de hinc corpora lepra
Mundauit. cecis animas reuocauit ab vmbris.
Frigida mandauitq; iterum ad sua membra reuerti.
Hic puer et medio doctorum celsus in orbe
Constitit alta docens. nunq̄ risisse notatus
Sepe dedit gemitus. siccis super equora plantis
Ipse maris gradiens. timidum ceca ima petentem
Discipulum dextra tenuit. quare ista fatentur
Esse deum. tamen inde ferunt de virgine natum.
At pater ignotus. sitit hic. sepe ardor edendi

Inuasit. quem turba iesum modo clamitat. ipsi
Uidistis quam magna canant qui carcere nostro
Clauduntur. letiqꝫ diem aduentasse salutant
Quo patriam repetant. inuisaqꝫ menia linquant
Quis nouus iste furor? tentandum est an deus hic sit
Siue homo. si vite fuerit sibi terminus. omnis
Questio tunc pateat neqꝫ enim regnator olimpi
Extingui vel morte potest occumbere dura
Experiamur. ego varias in pectore curas
Et noua concilia atqꝫ nouas demecior artes
Nam iesus hic magna populi comitante corona
Jerusalem ingreditur. cui ramis agmine facto
Occurrunt olee. prostrati corpore terra
Sub pedibus pallasqꝫ locant et carmina dicunt.
Hic labor omnis adest. cunctorum vertere mentes
Scribarum. rabidumqꝫ animo instigare furorem
Principibus. varios vulgi miscere tumultus
Morte reum clament. ipsum quoqꝫ fida suorum
Agmina destituant. precio tradatur et hosti.
Vadite iamqꝫ citi pedibusqꝫ accingite pennas.

Tuqꝫ mea inprimis allecto concipe vires.
Et solitas artes. maior tibi gloria restat
Si struere ac tantam poteris componere mortem
Quare age gorgoneis mea nata accincta venenis
Aggredere. et diros longis de crinibus angues
Eripe vipeream scribarumqꝫ infice mentem
Atqꝫ odys repleas phariseos. ira qꝫ rumpat
Inde sacerdotes. scarioth tua vulnera iudas
Senciat. hunc auri cogat vis rumpere leges

Hieronimꝰ hic poetice loquitur.

Et postquam diro latrauit gutture pluto
Extemplo surgunt acies. vastasqꝫ per vmbram
Emittunt voces et dentibus inde furorem
Infrendunt. qualem venti dant sepe fragorem
Aut enim nube caua rubeo vulcanus amictu
Frangitur. et medio tonitrus sonat aere longus
Tali insanibant rabie mala pectora et ira hinc
Atqꝫ illinc ceco discurrunt vndiqꝫ cursu
At sata nocte altum transuerberat aera pennis
Jerusalem pecyt. primeqꝫ in limine porte
Ingentem eiecit tristi de crine colubrum

Qui totam furys agitaret protinus vrbem
Indeq; tecta petit scribarum . magnaq; versat
Templa sacerdotum . et flammis accensa draconem
Cuiq; suum iniecit : qui crebro lubricus orbe
Voluitur . et leui summa ad precordia giro
Delapsus mentem furys agitauit amaris .
Tunc varys secum dictis et murmure ceco
Conueniunt patres quorum qui maximus euo
Incepit quis nos grauis hic circumuoluat horror
Quid struimus ? populos hic hic narratur in omnes .
Signaq; magna facit . gentes sua dicta sequuntur .
Et quecunq; docet veluti sint numinis alti
Accipiunt miseri . que nos fortuna sequatur .
Querendum est . venient romani nostraq; tollent
Imperia . et miseris ignoti errabimus oris
Inueniat timor iste viam . modo letus in vrbe .
Hic homo successu populi et felicis oliue
Frondibus est sumptus . medium teneamus . et ipsas
Morte luet penas . morte est dolor iste piandus
Talibus inter se dictis incepta fremebant

Consilium scribarū sacerdotum et phariseorum .

Consilia: atq iesum querebant tradere morti;

Quomodo dyabolus misit in cor Jude vt christum traderet.

V Tq satis primos acuit fera seua furores
Atq omnem euertit ipsis cum patribus vrbem
At iudam scarioth obscenis protinus alis
Accelerat. miserumq animum reflectitur angue
Fodit auaricie primum sua pectora telo
Post virus tetrum iniecit quo prodere tentet
Heu demens hostiq suum dulcemq magistrum
Traderet o nimium dura est ab harundine fossus
Infelix scarioth. cepit nam primitus illud
Sacrum opus vnguenti verbis damnare prophanis
Nec satis hoc misero est sed mox ad limina patrum
Hinc celeri fertur gressu preciumq poposcit
Et dare se spondet ignoti signa magistri
Atq vbi cum charis socys versetur. et inde
Nunc teneant quecunq sibi monstrauerit ipse.

Jeronimus exclamat contra iudam

O fraudes seue o sceleris fabricator iniqui
Funera tu ne viri pergant incognita tanti
Sperasti. tantumq nephas resideret inultum
Demens. magna diu nequeunt delicta latere.

Nam comes a tergo sequitur vindicta nephando
Nemo unq̄ʒ sceleris longo letatur in euo
Tempus erit quo mentis inops cunctisqʒ perosus
Me mare in abruptum clamabis ferte procelle
Inqʒ feras sirtis scopulos me tollite in altum
Undiqʒ disiectum. vastis ubi montibus horret
Eterno nix alta gelu detrudar et illic.
Aut ubi vicinus victum mortalibus omnem
Sol negat et dira surgunt qua parte venena
Tandem incerta putans christi pietatis exemple
Immemor heu tristi rumpes tua colla capistro;

De christi captione in monte oliueti

Accipit ergo acies seuas tristesqʒ cohortes
Infelix. graditur qʒ armato milite cinctus
At iesus ista suo voluens sub pectore summi
Jussa patris properans cedrontis protinus alueum
Transuperat. placido iacet hic in gramine campus
Quem iesus ingreditur paruo agmine circumseptus
Hic quoqʒ de veteri sinuato poplite more
Orabat magnoqʒ dabat sacra uerba parenti
Ecce armis instructa acies rabidiqʒ manipli

Inde superueniunt medio tradente. quid inquam
Miles acerbe furis? veniet quo victima fiet
Sponte sua innocuus. mediusque stabit in aris
Agnus. et exposita cupiet ceruice necari.

Jesus alloquitur iudeos eum querentes

Ut subitos vidit longis cum fustibus hostes
In se ferre gradum Jesus vltro accessit et inquit
Quem tanto armorum concursu queritis? illi
Respondere iesum iudea nazaret ortum
At iesus ipse coram dixit quem queritis adsum
Tunc malesana cohors iuda impulsore supini
In terram exangues tanta cecidere loquela
Qua celum terraque tremit. rursusque rogauit
Quem petitis? dixere iesum quibus ipse ita fatur
Meme? adsum meme seuis ne poscite vinclis
Ipse comes veniam. tamen hos concedite abire
Dixerat extemplo dextras in pectora diras
Certatim inyciunt. colloque miserima turba
Imponit funem. vinctumque in menia ducunt.

Auriculam malcho petrus amputauit

Non tulit hec petrus quamque iam tardior euo
Et tepeant vires medium sed fertur in agmen

Et malchum aggreditur iugulo cui dum petit ensem
Condere labenti terre dextram abstulit aurem
Cui iesus gladium vagina trade locandum
Petre quid insanis? num mundum ingressus iniquum
Jussa paterna feram? que nam hec est dira cupido
Sic fatus malchum turbatum sanguine terra
Sublevat. atq; aurem propria statione reponit

VT fera turba iesum rapuit (miserabile dictu) — Ad annam presidez iesus ducitur
Adq; annam magno ducunt clamore reuinctum
Heu post terga manus captoq; illudere certant.

Petrus vt ista suo fieri conspexit amori — Petr⁹ abnegat christum
Ingemit. et trepidus fido comitante iohanne
Insequitur longe turbe vestigia seruans.
Jamq; introgressi truculentas presidis edes
Judei captum ante pedes statuere tiranni.
Discipulusq; vna ingreditur prestante iuuenta
Notus custodi. simonemq; admittier orat
Exclusum: cui mox subeunti portitor inquit
Num comes huius eras hominis? Negat ille pauore
Stabant et borea torres vrgente fouebant

Turba ministrorum. infelix quibus ordine petrus
Addit se socium pariter frigusq; leuabat

Annas iesum interrogat.

Interea preses sic sede affatur ab alta
Atq; iesum qualis sua sit doctrina requirit
Qui socy. intrepidus Jesus anne talia reddit
Omnia ego vulgo docui. sum voce locutus
In sinagoga et templo quo gens tua semper
Conueniunt. mundoq; palam late omnia dixi:
Uox mea in occulto nunquam est audita. quid ergo
Me petis? hosce roga qui me videre docentem.

Christi facies a seruo ceditur.

Talia dum memorat non plura est passus iniquus
Seruus. et in faciem dextra ruit. oraq; tundit
Pulchra iesu tu ne hec (scelerata exclamat in aula)
Pontifici loqueris? cui mitis reddidit agnus
Jam testare meo siquid male decidit ore
Sed bene si dixi quid me crudeliter angis?

Ad Caipham pontificē christus ducit

Cumq; hec audisset preses iubet inde ligatum
Duci ad pontificem Caipham. qui tempore in illo
Protulit atq; istec dederit licet ore nephando
Predixit prestare vnum dimittier orco

Munere q̄ vite populum fore dulcis ademptum ?

Atque vulcani carpebant turba calorem
Astanti dicunt Simoni. tuus iste magister
En erat infelix iterum timido ore negauit
Ista negas inquit malchi cognatus in horto
Nonne ego te pariter vidi ? negat acrius ille
Nec mora fit. gallus (veluti predixerat illi
Ante iesus) signum rostro patefecit adunco.

Petrus iterum christum abnegat

Aurora interea croceo surgebat ab ortu
Luciferis inuecta rotis: cum pessima mitem
Turba iesum rapiunt. ad q̄ alta palacia magno
Cum clamore trahunt Caiphas vbi more priorum
Cum socijs operam festis pascalibus almam
Leti indulgebant. ne sacra incepta furore
Turbarent. verum vt sedata mente litarent
Non cepere aditum iudex ast ipse pilatus
Egreditur. turbamq̄ rogat rabido ore frementem
Quid ne petant. trepidiq̄ virum quo crimine cusent
Cui gens sacrilega fatur sic voce superba
Ante tuum insontem non est mos ducere ponti

Christus ducitur ad pilatum

Judicium. et praue non dignas sumere penas.
Accipite ergo virum proclamat ore pilatus
Utque iubent leges in eum procedite vestre
Sed furor intonuit. Non nostrum est. nec licet ulli
Mortem inferre viro. dulcique excludere vita.
Pessima gens animo tu iam de morte scelesti
Concipis o dignã toto maledicier orbe.
Poncius ergo iesum sacratam duxit in edem
Talia dehinc fatur iudeum rex mihi pande
Es tu. summa refert pietas ate iste refluxit
Sermo: vel alterius didicisti voce loquentis
Nonne ego iudeus sum reddidit inde pilatus
Gens tua pontifices mihi te duxere necandum.
Causa necis que tanta fuit vel quod scelus hoc est?
Agnus ad hec mundo mea si nunc esset in isto
Regia. prospiceres certantes magna ministros
Pro domino. atque armis summa tuerentur ab arce
Nec darer inuisis paterentur gentibus ultro
Ponentes vitam pro me. verum altera regna
Sunt mihi nec tali fertur mea gloria mundo.

Regna igitur tibi sunt nomen, fert ille, ego regis
Inde gero . et nullo est regnum superabile bello
Agnus ait latebras et ad hoc sum corporis istas
Et mundum ingressus quo veri testis et auctor
Egrederer . mea vox veri cultoribus almi
Quiq; pium rectumq; colunt captatur in aure .
Quid verum est querit tunc poncius . istaq; poscens
Rursum ad iudeos exit dehinc talia clamat
Nullam ego quid quereris in eo gens impia causam
Comperio . cuncto vacat hic a crimine iustus .
Ast vnum in vestro mos est dimittere pascha
Carcere detentum manet hec sentencia vobis
Ut iudeorum soluam hoc cum munere regem .
Alcius exclamant Barabas solemnia nobis — Iudei petunt barabam dimitti
Exigat . hunc morem Barabas persoluat : iniquus
Hic erat . et dextra rapiens aliena tenaci
Talia conspiciens et vulgi corda pilatus — Christus flagellatur et coronatur
Hunc iesum vinctum seuis iubet ergo flagellis
Contundi properant iudei moxq; coronam
Sentibus implicitam plectentes sanguine multo

Heu singultanti capiti terramqꝫ tuenti
Imponunt teloqꝫ premunt hunc desuper omnes
Atqꝫ illudentes palle candentis amictu
Purpureo mitem circumdant protinus agnum
Atqꝫ ipsum risu probrabant inclyte salue
Rex iudeorum tunduntqꝫ sacra ora pugillis
Poncius egreditur rursus turbamqꝫ malignam
Talibus alloquitur nullam cognoscite causam
Inuenio vobis duco hunc sine crimine iustum
Spinea serta gerens trahitur iesus oraqꝫ terre
Inde fixa tenent palla circumdatus alba
Atqꝫ hunc pontifices rabidi pariterqꝫ ministri
Conspexere vlla non sunt pietate reflexi
In cruce fige virum clamant iterantqꝫ loquelas
Poncius hec contra vos vos hunc tollite et inde
In cruce: causa in eo nulla est: vos figite dira
Judei clamant nostra hunc lex vndiqꝫ dānat
Nanqꝫ deo natum populo se dixit in omni
Presidis vt talis sermo peruenit ad aures
Extimuit rursusqꝫ subit pretoria querens

Ista iesum que te regio produxit et vnde
Es tu nulla dedit iesus illi verba roganti
Pretor ait quid tu inde taces mihi magna potestas
Ut cruce te figam seruemq; est tradita nunquid
Ignoras ? tunc mitis ad hec ita reddidit agnus
Uim tibi nequicq̄ de me fortuna dedisset
Arbitrium ni iam supera qui regnat in aula
Traderet ac de me tales laxaret habenas
Hec dum commemorat iesus ipse exinde pilatus
Querebat rabidi populi vt diuerteret iras
Ne quicq̄ veluti vrgentes qui claudere riuos
Tentet : et alterius cursum retinere putaris
Fluminis infesti cum multo cespite longis
Uiminibus necnon saxis sudibusq; perustis
Confecit paruo mansurum tempore collem
Nam dum lingua petit serie contexere et amnem
Claudere rumpit opus et iam supereminet vnda
Non secus hec rectos monitus fera turba pilati
Dissipat . atq; omnes ipsas committit in auras
Et super hec addit rabies iam cesaris omnis

Cedat amiciciis et seuam consurgat in iram

Nunc modo si saluas, nam cesaris inficit altum

Imperium regis quisquis sibi nomen adegit

Talibus impulsus preses feruente furore

Eduxit multo sedatum sanguine christum

Est locus horrenda sublimi structus in aula

Quem licostratum perhibent. sed gabbata dicunt

Gens hebrea manet vetus hic de more tribunal

Pretor vbi sese populi clamore locauit

Et sic ore dedit. vestrum decernite regem

Rex hic vester adest. sed mox furor impius infit

Tolle reum iam tolle reum cruce dede necandum

Ergo tuum morti preses fert tradier ergo

Regem optas. cui pontifices dixere nephandi

Rex est cesar et hic solus dominatur in orbe

Nobis solus adest Cesar tunc rapta furore

Conspiciens populi clamantis corda pilatus

Christus a pilato traditur iudeis crucifigendus.

Vincitur. inque manus agnum et seua ora luporum

Tradidit ecce ruunt alacres. adque ethera voces

Tollunt sacrilegas qualis leo gaudet in oris

Armenys ceruam rapuit siquando pauentem
Postq̃ ad caluarie venit gens impia collem
In terram statuere crucem . cruce et inde supinnm
Constituere iesum . sanctas quoq̃ cuspide ferro
Inde manus . atq̃ inde pedes fixere beatos .
O dolor o pietas medium statuere nephandos
Inter raptores . atq̃ est numeratus in illis .
Utq̃ solent mestis tituli superesse sepulchris
Carmine sic vasto signat crucis ora pilatus
Significatq̃ illa pendere ex arbore christum
Nazaret eductum tali notat atq̃ tabella .
Rex erat iste iesus iudeum qui manet ista
In cruce . et hunc versum plures legere pilatum
Ultro accusantes . regem hunc inscribere noli
At quia se dixit regem . sed talia reddit
Poncius eterno maneat hoc carmine scriptum
Jam cruce . iam patulis manibus diuina potestas
Pendebat . tunc seua choors suadente furore
Corripuere pias vestes atq̃ inde proterua (improba)
Diuisere manu . ne quid superesset in illo

Pilatus scribit titulum iesu .

Quatuor in partes statuunt. atqꝫ insuper herum
Cognouit pars queqꝫ suum sic ira ministrat
Altera vestis erat manibus quam fecerat aptis
Ipsa suo nato rerum doctissima mater
Undiqꝫ acu totum contextam desuper orbem
Hanc secare nephas rati dixere vicissim
Hanc habeat cuicunqꝫ fauet sors aspera ludi
Ac veluti imbellem rapiens frendente bidentem
Marcius ore lupus postq̄ crudeliter aluo
Immersit pauidam ac frustra clamore petentem
Auxilia in partes saniē rorancia mille
Uellera dispergit ventis atqꝫ irrita donat
Te tua fata manent aderit gens impia tempus
Haud expectatum quo tu spolia ista diemqꝫ
Et miseri nati natorumqꝫ exitus omnis
Oderitis vastum miseri peragrabitis orbem
Uos fugient populi nulli socia agmina iungens
Nusq̄ certā domus requies et nulla labori
Uenerat ergo iesu mater comitata cohorte
Feminea laniata comas laniata qꝫ pallam

Pectora contundens pugnis hanc natus ab alto
Prospiciens pariterqꝫ suum superesse iohannem
Talia dehinc matris dimisso nomine fatur
O mulier tibi natus hic est. tua cura iohannes
Tu vero spes sola tuam hanc solabere matrem
Nec plures lasso rupit de pectore voces
At genitrix vbi verba sui cognouit alumni
Succiduo miseranda genu sine viribus vllis
Succubuit mestum illachrymans subit ipse iohannes
Et matrem ingenti terram langore petentem
Sustinet. et dictis miseram solatur amicis
His actis inscripta iesus secum omnia voluens
Et quecunqꝫ sacri de se dixere prophete
Clamauit gens praua tue mihi magna salutis
Est sitis. ecce canes raptimqꝫ sine ordine currunt
Crudelesqꝫ parant succos et pocula condunt
Ysopus infelix acri miscetur aceto
Atqꝫ iesu apponunt ori sed tristia postqꝫ
Pocula sunt primis christi percepta labellis
Omnia voce refert iamiam consumpsimus. et hec

Cum memorat ceruix vltro callapsa recumbit
Spiritus et tepidos linquit feliciter artus
Judei interea quoniam sacra festa monebant
Sabbaticusqꝫ dies aderat rogauere pilatum
Ut iubeat ferro contundi membra virorum
Ne suspensa die superessent corpora sancto
Turba ruunt primiqꝫ infringunt crura latronis
Atqꝫ vna alterius. dum vero cetera lustrant
Atqꝫ iesu sanctos non firmet spiritus artus
Ossa illesa sinunt valida sed feruidus hasta
Miles erat, qui dulce iesu latus hausit apertum
Extemplo tali fluxit de vulnere sanguis
Mixtus aqua, obstupuere omnes, miratus et ipse
Est miles. veniamqꝫ sui petit ille reatus
Talibus infandum exactis vir sãguine claro
Diues opum Joseph, vrbe amathiaqꝫ creatus
Processit, corpusqꝫ iesu tradente pilato
Suscipit atqꝫ humilis mestes instaurat honores
Instat et vna operi Nicodemus tristis et vna
Illachrimans funus properat, sanctiqꝫ magistri

Vulnera seua lauat. dehinc oscula dulcia figit
Pectoreq; abs imo gemuit post mestus inunxit
Ast aly niueo inuoluunt velamine talem
Seruabant ritum veteres. conduntq; sepulchro
Nunc mea de prora in littus iacetur apertum
Anchora parua cedant ducencia vela phasellum
Attigimus portum placidis comitantibus euris
Venti aspirarunt dulces satis equor araui
Nunc demum terras lustrabo atq; inde palestre
Merebo solite. iuuat hec cecinisse placetq;
Nos nostro cantus interposuisse labori
Gloria laus q; et honos tibi sint ac summa potestas
Imperiumq; ingens.

Iesus in cruce loquitur ad animam christianam.

Dulcis amica veni iesumq; auersa vocantem
Respice et ardenti amplectar te pectore charam
Dulcis amor quo sola fugis Nam tuta per altos
Transieris nunq̄ sine me caliginis vmbras
Ille anima ille tuus heu nunc cognosce creator
Ille ego sum flagrans et viuo saucius igni
Quem noua flamma tue quem cura salutis adurit

Huc celeres huc flecte gradus hoc aspice lignum
Quo super infixus ne iam damnata subires
Crudeles penas ego te miseranda redemi
Expecto ac nimium dilecto accensus amore
Brachia aperta dedi frontemq; ad oscula flexi.